



# NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

*DIE VIII. APRILIS.*

**M**

*Adritti, a. d. 14. Februar.* Asturiæ princeps femina, e morbo, quo in itinere, antequam hanc urbem ingrederetur, tentata fuerat, nunc plane convaluit, & aliquoties a multitudine ad fenestras palatii regii conspecta est. Præteritis diebus, 15. & 16. Febr. festiuorum ignium edita spectacula, atque omnes urbis vici, lampadibus, pulcro ordine positis, illustres fuerunt. Die 17. autem Febr. rex cum regina, & princeps Asturiæ cum conjugē, omnes vno vecti carpento, magna pompa urbem ingrediebantur. Vtrumque vehiculi latus præcipui cingebant ex aula proceres, quos equites peditesque, custodiae adfueti corporis, longo agmine sequebantur. Quum ad templum di-

væ virginis Atochensis procederent, omnes ædium parietes, quos præterire debebat rex cum principe Asturiæ, splendidissimis tapetibus ornati conspiciebantur. Aurifabri, ante domicilia, quibus habitant, aurea, atque argentea vasa, cum gemmis cumulaerant, quæ omnia jucundissimum oculis præbebant spectaculum. Area, quæ ante palatium regis est, innumeris conspicua erat lampadibus, & duodequingenta viri nobiles, equis vecti, & in tres diuisi turmas, de annulo, ad metam proposito, certabant. Paulo post, ludicrum nauale, quod naumachiam vocant, a triremibus instituebatur, quæ colorum, quibus insignes erant, varietate, atque aplustribus, auro argentoque distinctis, omnium oculos in se conuerterant. Quo finito, ignes mira arte præparati, denuo succen-

succendebantur, & inter tympanorum strepitus, tubarumque clangores, quilibet se domum recipiebat. Nudius tertius, sex homines, e quibus quatuor mares, & duæ fuerunt feminæ, *Judaismi* accusati, atque a sacro, inquisitionis tribunali condemnati, virgis cæsi, atque ex vrbe in exilium eiectioni sunt. Quemadmodum Alone litteris scriptum accepimus, Chauignius, Gallorum legatus, Genua naue vectus, in portum intrauerat. Cum exscenderet in terram, omnia tormenta enauibus, quæ illo tempore in portu constitutæ erant, magno fragore excussa fuerunt. In littore ei ciuium ablegati, & Galli, qui Alone colunt, occurrerunt, atque e longinquo cum sequuti, ad ædes deduxerunt, in quibus, probandæ valetudinis causa, aliquam diu commorabitur. Paucorum autem dierum eiusmodi fore moram, vel inde conicere licet, quod is, qui Valentia hoc tempore præses est, ad eum fuerit profectus, & propediem futurum, dixerit, vt ille Mantuam Carpentanorum euocaretur. Permultum rex amicitia, quæ ipsi cum Venetis intercedit, tribuere solet, quandoquidem ante paucos dies solemniter edixit, vt illi, commerciorum causa, ad nos venientes, iisdem cum aliis gentibus priuilegiis vterentur. Si famæ crede re libet, Carolus, princeps in Italiam abibit. Quidam Ferdinando, alteri regis filio, ante octo & sex menses nato, vxorem destinari, aiunt, Belioiouiensem principem, ducis Aurelianensis filiam; id quod tamen rumore tantummodo compertum habemus.

*Lutetia Parisiorum, a. d. Mart.* Litteras, quibus rex Noallio, vrbis Archiepiscopo præcepit, vt solemnes, propter reginæ aduentum, supplicationes in

templo vrbis primario institueret, in hanc fere sententiam scriptas, accepimus:

AVVNCVLE CARISSIME.

„Impense gaudeo, & animo quasi exultato, quod regis Hispaniæ filiam, quam olim mihi desponderam, confecto feliciter itinere, saluam nunc atque incolumem in hac amplecti vrbe potui. Hoc matrimonio perauspicato coalescunt denuo profapia, quæ ab auo meo duxerunt originem, & abunde me satisfacisse, arbitror, votis, quibus ille perpetuam nepotum, qui ex eo descendent, amicitiam, & coniunctionem optauerat. Illud autem, mihi credas, lætitia magnopere adficit animum, quod, hac ratione, sine turbis, & inuidia, quibus amplissima sæpius regna, & Hispaniæ regna firmari, animadvertito. Immo omnis, qua patet Europa, ratum habere videtur eiusmodi matrimonium, & plausu dato, de tanta nobis felicitate gratulatur. In omnium enim re, quamcunque, imperii mei tempore, animo agitavi, tranquillitatem publicam, & diuersarum gentium salutem, ante oculos mihi propositam habui, quibus sane illæ gaudere haudquamquam poterunt, nisi arctissimo fœdere inter se jungantur. Cumque præpotens Deus, non tantummodo summus pacis sed etiam exercituum nomine gaudeat, necessarium omnino esse duxi, vt solemnes ei persoluerem gratias, cuius nutu rem accidisse, nouimus, cum publica tranquillitate maxime coniunctam. Quam ob rem, e sententia ducis Aurelianensis, cognati mei carissimi, his tibi litteris mando, vt in vrbis templo primario solemniore instituas supplicationes, & more vītato, himnum Ambrosia.

„brofianum cantari jubeas. Ipse die  
 „12. Mart. adero cætibus veftris, & im-  
 „mortali Numini gratias perfoluam,  
 „hora, quam cerimoniarum magifter  
 „tibi indicabit. Illi enim præcepi, vt  
 „præfinito die, omnes, qui ex aula in-  
 „terefle debent eiusmodi facris, con-  
 „uocaret. Quod fupereft, Deum precor,  
 „mi Auuncule, vt te falvum & fofpi-  
 „tem conferuet. Scrib. Lutet. Parifior.  
 „die 6. Mart. A. O. R. c I o I o c c x x I I.

L V D O V I C V S.

PHILIPPE AVX.

*Cameraci, a. d. 15. Mart.* Illi, quos  
 imperator Romanorum ad conuentum,  
 in hac vrbe instituendum, miferat, fe-  
 quentes, præterito mense, ediderunt  
 litteras:

“Quemadmodum imperator Roma-  
 „norum nihil vnquam magis in votis  
 „habuit, quam vt pax, cum Hispano-  
 „rum rege inita, perenni fœdere fla-  
 „biliretur, & proinde, vt inter omnes  
 „conftat, primum Londini, & deinde  
 „Hagæ comitum, folemni pacificatione  
 „teftatum fecit, qua ratione pacem Euro-  
 „pæ redditam, tueri ac confirmare ftu-  
 „deret; ita quosdam mifit e fuis Ca-  
 „meracum, qui litteris palam editis,  
 „fe promptos paratosque efle, nunc de-  
 „clarant, ad fufcipiendum opus, quo  
 „pacta conuenta que denuo, nomine pu-  
 „blico, firmari queant. Illi igitur, quam  
 „primum fieri poterit, manus admo-  
 „uebunt operi, & litteras, quibus ipsis  
 „plena agendi potestas ab imperatore  
 „Romanorum permittitur producent,  
 „dummodo fimilia fecerint aliorum re-  
 „gum ablegati, & pro fuis quisque vi-  
 „tibus dederit operam, vt tam falutare  
 „opus optatum aliquando exitum for-

„tiatur. Namque eandem Hispanorum  
 „regi, aliisque regibus, qui fœdere  
 „cum imperatore Romanorum conjun-  
 „cti funt, fententiam fore, confidunt,  
 „& nihil magis optant, quam vt ea de  
 „re imperatorem fuum, proximo quo-  
 „que tempore, certiozem redere pos-  
 „fint. Scribeb. Cameraci, die 28. Febr  
 „A. R. S. c I o I o c c x x I I.

Windisgræzius, Comes.

Bendenriederus, L. Baro.

Ad hæc illos, qui ab Hispaniæ rege  
 Cameracum miffi fuere, respondiffe fe-  
 runt: „Nihil amplius dubitandum ef-  
 „fe de regis Hispaniæ in imperatorem  
 „Romanorum animo, fiquidem ipsi re-  
 „gis juffu, quinque & decem nunc  
 „menses aliorum regum & principum  
 „ablegatos Cameraci opperirentur.

*Hamburgi, a. d. 21. Martii.* His die-  
 bus, patres vrbe aliquoties congrega-  
 tos, vidimus, qui diu multumq; delibe-  
 rarunt, qua ratione, Metschio, Comiti,  
 & imperatoris Romanorum legato, fa-  
 tisfieri queat. Hefterno die, duo ab-  
 legabantur, qui Metschium, de pro-  
 penfa patrum voluntate facerent cer-  
 tiozem, atque in eam adducerent fen-  
 tentiam, vt ex quatuor ædibus, quas  
 illi nominauerant, eligeret, quascun-  
 que vfibus fuis ad commodatas cenferet.  
 Sed enim, in fua eum perfiffiffe,  
 ajunt, fententia, qua iam pridem po-  
 ftulat, vt vel Goerzii, vel Cleueckeri  
 ædes fibi attribuatur. Si quid rumori,  
 qui in vulgus emanauit, credendum ef-  
 communi omnium patrum fuffragio  
 nuperrime decretum fuit, vt Petrus I.  
 Rufforum *monarcha*, titulo deinceps  
 imperatoris majoris & minoris Ruffiæ  
 appellaretur.

Petro.

*Petroburgi, a. d. 8. Febr.* Russorum Imperator, sequens nuper promulgandum curauit edictum.

Serenissimus & potentissimus Petrus Magnus, Imperator, & totius Russiæ dominus, precibus suorum, quibus illi, vt se titulo deinceps imperatoris appellari pateretur, quam demississime rogauerunt clementer adnuens, solemniter edicit, vt in litteris, ad externos mittendis, tum & in iis, quæ intra fines imperii sui ad ipsum scribentur, eiusmodi omnes vtantur formulis.

*I. In litteris ad externos.*

Nos, diuina fauente gratia PETRVS primus, imperator & dominus totius Russiæ, Moscouiæ, Kiouix, Vladimeriæ, superioris Nouogardiæ; Czarius Casani, Astracani, & Siberiæ, dominus Pleskouix, Magnus Dux Smolensciæ, Dux Esthoniæ, Liuoniæ, Careliæ, Tueriæ, Yugoriæ; Permiæ, Wiathiæ, Bulgariæ, aliorumque regnorum; magnus dux inferioris Nouogardiæ, Czernicouix, Rezanix, Kostouix, Jaroslouix, Biclozorouix, Vdoræ, Obdoniæ; & imperator omnium regionum septentriorem versus; dominus terrarum Jueriæ & Castaliæ, dominus hereditarius & possessor Georgiæ, Cabardiæ, Czerkassix & ducatus Gorkii.

*II. In litteris, quæ intra fines imperii Russici scribuntur.*

Nos, diuina fauente gratia, PETRVS primus imperator, & dominus totius Russiæ, &c.

*III. In litteris, quas regni Senatus, collegiis & prouinciis, tum & collegia prouinciis mittunt:*

Mandatum Imperatoris & Domini totius Russiæ.

*IV. In litteris supplicibus aliisque huius generis libellis:*

Serenissime & potentissime Imperator,

domine totius Russiæ, domine clementissime, PETRE Magne, Pater patriæ.

*V. In ipsis litteris supplicibus:*

Clementissime Domine, suppliciter *Maiestatem* Tuam imperatoriam oro atque obtestor.

*IV. In fine litterarum.*

Maieitati Tuæ imperatoriæ subiectissimus seruus.

*VII. In sententiis promulgandis:*

Mandato Imperatoriæ Maiestatis.

*VIII. In litteris commentus.*

Mandato PETRI magni, imperatoris & domini totius Russiæ.

*IX. Si quando nomine collegii cuiusdam ad aliud collegium scribuntur litteræ:*

Pro memoria collegium --- collegio in causa &c.

*X. In fine autem.*

Velitis itaque perficere, vt &c.

*Vienna, a. d. 1. Aprilis.* Nudius abhinc quartus Excellentissimus Comes, Aloysius Thomas Raymundus Harrachius, in Saxoniam ab Imperatore Augusto missus fuit, ad principem regium atque Electoralem hæreditarium, vt ei insignia ordinis *Aurei Velleris*, cui iam tum 30. Nouembris, anni superioris fuerat adscriptus, solemniter conferret.

*Posonii, a. d. 8. Aprilis.* Alma Sodalitas in cælos assumptæ Virginis, die 2. mensis huius, in templo Soc. JESU ad S. Saluatorem, duodecim pauperibus pedes lauit, eosque ad oratorium deductos, non solum lautioribus epulis reficiendos, sed & modulatissimo instrumentorum musicorum concentu oblectandos curauit: deinde vero larga stipe donatos, dimisit. Ceterum tempestas verna benignior iterum esse cœpit, quam quæ ante hos octo dies obtinuerat; tum enim gelu intensissimum adfuit arborum floribus, fructuum præco-cium spem omnem ademit.